



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De  
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis  
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXVIII. Maceraten. censum. De imaginaria solutione, seu  
appropriatione bonorum defuncti, quam sibi ipsi faciat hæres, expressè  
vel præsumptivè pro ejus credito, quod habeat contra defunctum; ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

inexacta contingat, negligens cohæres ejus negligenter id imputare debet, neque contributi actionem aduersus diligentem habebit juxta dispositio-  
nem *textus in l. fin. Cod. deposit.* Quoties tamen qui-  
libet eorum pro divisio propriam portionem possi-  
deat, ac administret; Secus autem quando eis pro  
communi possidentibus, quilibet ex eo promiscuo  
mandato, quod inter socios adesse dicitur, admini-  
strat totum, quoniam si unus partem debiti à com-  
muni debitore exigit, causam communem exegisse  
dicitur *gl. in dicta l. fin. Cod. deposit. cum concord. per  
Menoch. conf. 46.*

Sive altera dubitandi ratio cadit, potius facti,  
quam juris *q. insinuata sub tit. de fideicommissariis* alibi  
occasione questionis, an per divisionem, fideicom-  
missum, vel ius emphyteuticum remissum censeatur,  
quia nempe in hereditate extantibus bonis parti-  
tim liberis, & partim fideicommissariis, vel feudali-  
bus, seu emphyteuticis, in portionem unius obve-  
niant libera, in illam vero alterius serua, & evictio-  
subjecta, ut scilicet ista praestanda sit, quando divisio  
fuit æqualis, adeo ut bona serua æqualiter æstimata  
fuerint, ac libera, unde propterea magna inæqualitas  
alias resultaret; Secus autem ubi in estimatione  
habita est ratio vinculi, seu periculi, juxta illam es-  
timationem, de qua in proposito locorum mon-  
tium, aliorumque bonorum vinculatorum habetur  
*sub tit. de Regalib. dis. 30. cum duobus seqq. quoniam*  
tunc dicitur evictio de natura rei, quæ praestanda  
non est, dum ille, qui ratione vinculi majorem bo-  
norum quantitatem de facto habuit, aleam ita emis-  
se dicitur.

Dicebant tamen, quod attenta serie instrumen-  
ti census initus erat ad favorem privatæ personæ,  
mediante pecunia numeratæ, quæ in dissolutionem  
debiti soluta fuerat, ideoque illud exegerat, quodq;  
si postea ab emptore census istum acquirere voluit,  
id egit proprio, non autem hereditario nomine.

Verum scribens pro Societate (etiam cum sen-  
su veritatis) dicebam iustitiam huic assistere non  
obstante dicto objecto, quoniam ex facti circum-  
stantiis de vita veritate constabat, quodque totum  
simulacrum ad commodum, & incommodum Societas  
hereditario nomine gestum erat ad *textum in l.*  
*1. & 2. Cod. si quis alteri, vel sibi cum concordanti-  
bus apud Buratt. decisi. 317. & 733; decisi. 153. p. 7. rec.  
& passim.*

Sed quando etiam ita res se haberet, ut in instru-  
mento narrabatur, adeo ut gesta inter Societatem,  
& præfatum ejus administratorem, ad cuius com-  
modum census creatus erat, importarent novam  
dicti census acquisitionem cum ea pecunia, quæ  
per debitorem ipsius Societati tamquam hereditati soluta  
erat; Adhuc tamen idem resultaret effectus, dum nil  
prohibebat herediti, quin pecuniam ita exactam in  
hunc census ad commodum hereditatis investiret,  
dum de ista voluntate dubitandum non erat ex facti  
circumstantiis, & præsertim ex dicta descriptione  
in libro particulari hereditario contradistincto à li-  
bro proprio ipsius Societatis.

Replicabant Scribentes pro Monasterio, quod  
cum ille census esset parum idoneus hinc proinde  
ipsi Societati, cohæredi imputari deberet, cur illum  
emerit, non bene indagando debitoris idoneitatem;  
Verum ultra responsem facti ut suprà, facilis  
quocq; erat responsio juris, quod scilicet de eo tem-  
pore Societas totam hereditatem possidebat, ideo-  
que intrat dispositio texti. *in l. sed & si leg. 8. consu-  
luij ff. de petit. barear. ubiglo. Angel. Castr. & alii*  
de quibus habetur etiam *sub tit. de Regal. discr. 1.*  
quod scilicet heres bona fidei putativus de admini-

stratis, quamvis malè, imò consumptis, ac dissipatis  
non tenetur cohæredi rationes reddere, quinid  
neque in propriam portionem imputare, quoniam  
data bona fide, credit bona propria administrare,  
& consumere, alias non consumpturus, ideoque ad  
aliud teneri non debet; Incertum autem est quid  
sequutum sit.

## MACERATEN. CENS V V M,

P R O

CLAUDIO & THEODORO  
DE CICOLINIS

C V M

R O S I N I S & aliis.

*Casus disputatus coram Thesaurario.*

De imaginaria solutione, seu appropriatio-  
ne bonorum defuncti, quam sibi ipsi faciat heres, expresse vel præsumptive  
pro ejus credito, quod habeat contra de-  
functum; An & quando, & ad quos effec-  
tus intret.

S U M M A R I U M.

- 1 *Facti series.*
- 2 *F Non debent assumi articuli juris, ubi factum  
afficitur.*
- 3 *Quod in materia procedendum sit cum distinc-  
tione casuum.*
- 4 *De illa imaginaria solutione, qua resultat juris  
ministerio, quando creditor succedit debitori.*
- 5 *De differentia creditoris succendentis debitori, vel  
contra debitoris succendentis creditoris.*
- 6 *Inventarium præservat ut confusione actionum.*
- 7 *Quid requiratur ut heres, qui sit creditor heredi-  
tatis posset sibi aliqua bona particularia appri-  
piare.*
- 8 *In mandato dato ad contrahendum non venit per  
sona ipsius mandatarii, nisi dicatur.*
- 9 *Tutor, vel alter administrator, quando posset emi-  
re bona pupilli, vel alia contrahere.*
- 10 *An in appropriaione etiam judiciali requiratur  
astimatione, decretum Iudicis, & citatio interfla-  
torum.*
- 11 *De eodem circa estimationem, & subbastationem.*
- 12 *De præsumpta appropriatione, vel imaginaria solu-  
tione etiam fine requisitis, de quibus num. 10. ad  
effectum fructum.*
- 13 *De argumentis favore hereditatis.*
- 14 *Contrarium, & quod debeat procedi cum distinc-  
tione casuum, & de eiusdem &c.*
- 15 *De ratione, ob quam heres pro rata sui creditibili-  
neat fructus.*
- 16 *Quod sit præsumptio, qua cessat ex contraria pro-  
batione.*
- 17 *Respondeatur argumentis, de quibus num. 13.*
- 18 *Quod in hac facti specie non intrer præsumptio, de  
qua num. 12.*
- 19 *An fine requisitis, de quibus num. 10. intret ap-  
propriatio ad effectum dominii in antiquis.*
- 20 *Ut dicta præsumptio suffragear etiam ad effectum  
domini favor tertii, cui facta est alienatio.*
- 21 *De distinctione inter credita ante, & post aditam  
hereditatem.*

DISC.

## DISC. XXVIII.

**C**laudius senior de Ciccolinis, in Curia Praeclarus contemplatione certi matrimonii per Antonium ex fratre nepotem contrahendi, de anno 1660. donationem efecit nonnullorum bonorum, ac effectuum, quae afferuit, & manuteneret promisit valoris scutorum 30. millia, sibi reservata dispositione, facienda cum eodem Antonio, ac filii ex eo matrimonio procreandis; De anno vero 1611. morti proximus, testamentum condidit, in quo instituto herede eodem Antonio, perpetuum fideicommissum ordinavit cum ordine primogenitura, in quo dicta bona donata quoque comprehensa esse voluit, strictissime prohibendo ne dicta primogenitura, alieque ejus dispositiones impugnari possent, adimendo alias quoddam prælegatum remissionis annue præstatio scutorum 60. sibi debite in vim precedentis donationis, gravando eundem, ac successores ad investiendum singulis annis in augmentum primogenitura quamdam fructuum quantitatem; De anno vero 1617. Antonius qui hereditatem dicti testatoris cum beneficio legis & inventarii ex dicto testamento adierat, praetendens quod bona ut supra donata importarent solum valorem 24. millia, depurato curatore hereditati, atque citato quodam pio loco ultimo loco substituto, sententiā obtinuit super separatione ejus bonorum propriorum, ac etiam separatio nō bonorum donatorū, ut dicto fideicommissio subiecti non potuerint ultra limites reservata facultatis, cum supplicatione ex bonis hereditariis dictorum scutorum 6. millia deficientium, reliquum verò remanseret sub fideicommissio; Cumque ex Antonio fuisse superstes Alexander, ob cuius debitum contractum occasione Thesauraria Marchia una cum Claudio jun. & Theodoro filiis, Camera Apostolica universa bona sub exequitione posuit, ut insinuatur etiam *sub tit. de donat. disc. 5.* Atq; sequitur ejusdem Alexandri morte, dicti Claudio Episcopus Foroliviensis, & Theodorus frater, ex compositione in initia Camera, dicta bona recuperassent; Hinc contra istos, Rofini, aliquique creditores Antonii, ex causa censuum impostorum usque ab anno 1616. judicium instituerunt coram Thesaurario super bonis pertinetibus ad eundem Antonium & Alexandrum ejus hereditate inventario; Cumq; rei conveti exiperent de dicto fideicommissio, cuius jure quoque possidere dicebant etiam aliqua bona propria ejusdem Antonii pro fideicommissio reintegratione, ob non adimpletum dictum cumulum fructuum; Replebant actores, quod ferre nihil de bonis hereditariis testatoris remanseret, unde propterē dictum implementum ex defectu bonorum fieri non potuerit, ex eo quod Antonius predictus, de tempore adita hereditatis, esset testatoris creditor in scutis 21. millia, hoc est sex mille in sorte pro complemento summa donata, & quindecim mille, ex causa fructuum eorumdem bonorum donatorum, quos donator per decennium, & ultra, donec vixit, perceperat; Ideoque jure imaginaria solutionis illi, sibi appropriasset bona hereditaria, quorum fructus jure suo perceperat, & consequenter non cadebant sub fideicommissio, neque intrabat dicta obligatio cumuli a testatore demandati; Unde propterē ad hunc punctum imaginaria solutionis, vel appropriationis, difficultas per Judicem restricta fuit.

Quamvis autem ex solo facto, ejusque circumstantiis, difficultas ut infra removeretur, imprudens vero consilium sit assumere articulos juris semper periculosos, ubi factum assitat; Attamen ne vi-

derer effugere partes Juristar, idcirco scribendo pro reis conventis, duas constituebam inspectiones; Primo scilicet super articulo juris in genere, sive in abstracto in hac materia imaginaria solutionis, vel appropriationis, quam sibi heres faciat de bonis hereditariis; Et secundo in facto, sive in concreto in hac facti specie, an scilicet juris theoria esset ad rem applicabilis, necne.

Quatenus pertinet ad primum; Frequentissima est, in Rota, & Curia ista quæstio, adhuc tamen non omnino explanata, unde propterē sepius in ea expertus sum equivoca, ad quæ tollenda pro eo styllo, qui pro meo sensu, videtur hodie penè in omni forensi quæstione necessarius, advertebam, ut procedendum esset, cum distinctione casuum, sive effectuum, ad quos de ista quæstione agi contingat.

Primus igitur casus est, quando creditor, pure, ac simpliciter, efficitur debitoris heres, quia nempe, nullo restitutionis, vel fideicommissi onere gravatus, sed pure, ac irrevocabiliter, hereditatem adeat sine beneficio inventarii, an scilicet sequatur sui crediti imaginaria solutio ex bonis hereditariis in genere; Et iste casus, vel quæstio, nullum percutit effectum, ipsimet heredi, vel ejus successori proficuum, quoniam, cum secluso inventarii beneficio, omnimoda personarum, ac bonorum, & jurium confusio inducatur inter defunctum, & heredem, hinc proinde non datur distinctio mei & tui, nisi quatenus admixtum sit jus, vel interest tertii in uno, vel altero patrimonio, ideoque intret quæstio particulariter examinata *sub tit. de credito disc. 40.* An scilicet jurium & actionum confusio resulteret ex sola ratione incompatibilitatis, ne deatur actio & passio in eodem subjecto, vel potius ratione hujus imaginariae solutionis, ob quam extinguntur etiam actiones hypothecariae; Unde propterē plures distinguunt casum creditoris succendentis debitori, & conversum creditoris succendentis creditoris, ut patet ex ibi deducitis, atque istam quæstionem percutiunt plures auctoritates de hac imaginaria solutio ne in genere loquentes, sed extrā rem nostram.

Alter casus est, ubi creditor efficiatur heres debitoris, etiam pure, & irrevocabiliter, non autem simpliciter, quia nempe hereditatem adeat cum beneficio inventarii; Et tunc, licet non desint volentes, ut etiam isto caſu inducatur actionum confusio per dictam imaginaria solutionem; Verius tamen est, ac hodie extra omnem controversiam receptum, ut confusio non inducatur, ob pluries assignatam rationem reduplicationis personarum, quam ita ex inventarii beneficio lex fngit, ut benè præfertim rem examinat *Roland. de invent. p. 4. utili. 10.* Si vero velit isto caſu heres sibi de proprio credito satisfacere in aliquibus bonis hereditariis jure appropriationis, ac implicita donationis in solutum, vel adjudicationis, ea abdicando, vel separando ab hereditate, & transfundendo in proprium, ac privatum patrimonium; Et tunc, quamvis ob dictam reduplicationem personarum non implicet, ut id fieri possit, quod scilicet ipse tanquam legalis mandatarius, vel administrator hereditatis debitricis, assignet sibi ipsi, tanquam creditori, ac diversam personam representanti, tot bona in solutum, dum paf sim receptum est, ut possit quis nomine proprio emere a seipso tanquam mandatario venditoris; Attamen quia, ubi non agitur de mandato ab dicto homine, ut recte fieri potest (cum tunc sibi imputet mandans) sed agitur de mandato dato à lege, id permitendum non est, ob fraudes, quæ defuper committi possent; Ideoque juxta magistram theoricam *Bald. in l. debitoris, Cod. de pacz.* quam per verb.

E. 4. præcis.

De LUCA  
de  
flamentis  
etc.  
GYT

præcisa refert Roland. dicta utilit. 10. id sequi debet servatis servandis, nempe cum auctoritate Judicis, ac deputato curatore hæreditati tanquam jacenti, aliisque servatis, de quibus infra, ut per Roland. ubi sup. Marescott. lib. i. var. cap. 37. in princ. ut frequenter firmavit Rota, & præsertim apud Seraph. dec. 967. num. 1. in Romana fideicommissi de Muia 3. Junii 1661. coram Bourlémont, latius in Romana fideicommissi de Alberinis 23. Junii 1662. coram Bevila. Romana fideicommissi de Boncompagnis 3. Decembri 1663. coram eodem, & in aliis, cum sit propositio in Rota, & Curia recepta.

Et quidem merito, quoniam in generali mandato etiam homini, regulariter non venit persona mandataria, ob dictam suspicionem, quod non bene negotium mandantis gerat, ut propriam utilitatem capiat, ut advertitur plures sub tit. de camb. præsertim disc. 12. ubi quod dato mādato accipiendi ad cambium à quibuscumque, non intelligitur data facultas accipiendi à seipso nisi expreſſe dicatur.

Et quamvis in jure habeamus quod etiam tutor, vel alter legalis administrator, sive creditor, cuius jure venditur pignus, (in quo ipse administrator dicitur) non prohibetur emere bona pupilli, vel debitoris respectu; Attamen id intelligitur, dummodi id sequatur publice, ac palam, & bona fide, quod supponit haftam publicam, seu quod alia cumque emptori detur aditus, adeo ut dicta suspicio cesseret, & non alia, ut præsertim in creditore emente bona debitoris habetur sub tit. de empt. & vend. disc. 31. & alibi; Id autem excludit imaginariam solutionem, sive occultam appropriationem factam sibi ipsi auctoritate privata.

Adeoque in hoc rigorosè proceditur, ut aliqui DD. non contenti factio Judicis, ac deputationis curatoris hæreditati, exigant etiam citationem vocati ad fideicommissum, quatenus iste adsit, ac etiam præcedentem subhaftationem, vel saltim estimationem ex plenè relatis in dicta Romana fideicommissi de Alberinis 23. Junii 1662. coram Bevilaqua enunciata sub tit. de legit. & detract. disc. 21. dum infirmatur quædam adjudicatio, quam hæres gravatus à Judice obtinere curaverat pro ejus creditis, ibique referuntur opiniones hinc inde, præsertim super dicto requisito citandi proximè vocatum, super quo plura colligit Amat. resolut. 56. num. 26. & seqq. Deciditur tamen (& quidem probabiliter) pro invaliditate ex defectu hujus citationis, ex eo quod jam illum semel citaverat, atque in contradicitionem agnoverat.

Atque in hoc ego, quamvis scribens in dicta causa pro hærede gravato, ut patet ex deducitis dicto disc. 31. de detract. laudavi resolutionem in hac parte, dum reflectendo ad veritatem, atque cum ejus sensibus discurrendo in congressibus Advocatorum ista quæstione, advertebam, quod tres casus constituendi essent; Primi scilicet, ubi substitutus est omnino certus, & non defectus, adeo ut cesset spes caducationis, ut (e. g.) est Ecclesia, vel pia causa, seu Civitas, vel aliud corpus universale, quod nunquam moritur, & tunc debeat citari; Secundò econverso substitutus est omnino incertus, vel quia adhuc non natus, ut contingit in substitutione filiorum, & descendantium ipsiusmet hæredis gravati, vel quod alia probabilitate incertum sit, quinam superstiri sint gravato; Et tunc de stricto jure ista citatio non requiratur, sed sufficiat illa curatoris deputati ad effectum validitatis, quamvis Judex bene, ac prudenter facret hanc citationem quoque demandare, Atque de laudabili Romana Curia stylo affigi debent edita contraria interesse habere putantes; Et tertio demum, ubi casus restitutioñis proba-

biliter imminet, quia nempe gravatus, sit prole defteratus, pluresque jam supersint de alio genere, vel substitutionum gradu verisimiliter non defectari, adeo ut si non physicè, ut in primo casu, saltem moraliter, certus sit substitutus, & tunc citari debet, illi, quorum tunc proxima sit causa succendi, atque aliás Judex male agere videatur, cum hujusmodi curatores ad unum actum deputati, regulariter deservire soleant pro forma, seu nuda ceremonia ad complacentiam Partis.

Et quod estimationem, vel respectivè subhaftationem; Quamvis DD. de more nimium variet; Attamen judiciorē in eadem decisione advertitur, ut saltim unum de duobus requiri debet; Vel scilicet licet subhaftatio, non sola, sed munita pluribus obligationibus, ex quibus Judex possit se regalare; Vel justa estimatione judicio peritorum, ob quam cessest necessitas publica hastæ, qua impensas notabilis, vel inconvenientia, pro regionum, sed Tribunali moribus, ac stylis, producere solet; Dummodo tamen sincerè id sequatur, cum sapientis estimationem, fieri soleant subhaftationes colluviae, affectando aliquas amicorum infimas oblationes; Et econverso ad evitandam subhaftationem, affectari i soleante deputationes benevolentia peritorum, ut minori pretio estimant, ideoque dicitur ista quæstio potius facti, ex istius qualitate prudenti arbitrio regulanda.

Tertius casus est, ubi agatur de hærede beneficiato, vel non beneficiato, sed revocabili, quia nempe sit fideicommissi gravatus, in quo proprietaria, vera, & omnimoda actionum confusio non inducat, cum ad hunc effectum nulla vigeat difference, ut bene Marescott. dicto cap. 37. num. 11. cum seqq. Ipse autem hæres habeat onus restituendi, vel cumulandisive imputandi fructus, vel eorum patrem, ex præcepto testatoris (juxta facti speciem), ex præcepto legis, ut contingit in hærede extraneo immutare obligato fructus in trebellianica cum similibus; Sive ubi hæres sit conscius aris alieni, unde propter ea non possit facere suos fructus, ob defecitum bona fidei, ut advertitur in Romana ensis disc. 20. & in aliis; Ut etiam contingit, ubi retinetur opinio relata apud Buratt. decis. 509. (quamvis in Curia reprobat) ut hæres gravatus teneatur imputare fructus in debita, & onera hæreditaria soluta ex deductis sub tit. de detract. disc. 25. cum similibus; Eoque casu cadat quæstio imaginaria solutionis, an scilicet intrat ex tunc, & ab initio ad hæreditatis, vel superventi crediti, vel potius ex nunc, quando fiat restitutio, vel redditio rationum, ad istum effectum imputandi fructus in suum creditum, seu respectivè eos faciendi suos pro nata illorum bonorum, quorum valor sit credito proportionatus, juxta præcolum casum præsentis controversiali, non autem pro dominio rerum particularium irretractabili ut supra.

Et in hoc favore hæredis, ut faciat fructus suos, plura urgere videatur; Primi nempe auctoritas Castr. que reputatur in hac materia magistralis in. peculium 2. ff. de pecul. ubi ponit casum de uxore in instituta à viro cum gravamine distribuendi pauperibus fructus ultra suum victimum necessarios, & decidit, quod si mulier sit creditrix viri pro ejus dote, faciet suos præcipios fructus illorum bonorum, quæ dicto credito proportionata sint, onus autem remaneat in eo quod supererit, istamque doctrinam sequuntur plures, præsertim latè eam reaffumit Soccon. jun. cons. 170. num. 7. & seq. lib. 2. & alii apud Menoch. cons. 183. num. 35. & sequ. Marescott. lib. 1. var. c. 37. Surd. dec. 170. num. 1. & seq. & firmat Rota dec. 680. p. 1. divers.

Secundum

Secundò in idem facere videntur firmata *sub tie.*  
de  
dere,  
tra-  
tum  
i de-  
cce-  
cum  
re-  
ce-  
pha-  
ent;  
itur;  
sob-  
Vel  
effet  
iles,  
una-  
mo-  
evi-  
ones  
im-  
alta-  
olo-  
que  
itate  
ne-  
qua-  
pre-  
non  
diffe-  
cum  
vel  
par-  
m),  
anco  
in si-  
nde-  
enja  
ne-  
amvis  
ri im-  
solu-  
simi-  
solu-  
ditia  
us ex-  
atio-  
num  
nata  
pro-  
con-  
ticu-  
suos,  
ritas  
in  
xore  
up-  
de-  
lote,  
rum,  
tem  
nam  
Soc-  
spud  
ib.  
Rota  
cun-

deñur. disc. 10. & decreto disc. 136. ut ex quadam non scripta æquitate creditor faciat suos fructus præceptos ex pignore, quod adaequat creditum.

Tertio in idem confert illa æquitas, quæ favore meliorantis ponderatur *sub tie. de legit. & detract.* disc. 35. ut ille, qui fecit melioramenta inseparabili, quamvis verè remaneat creditor quantitatis pro melioramentorum valore, attamen faciet suos fructus ex ipsis melioramentis perceptos.

Et quartò facit ratio ponderata per Menoch. disc. cons. 183. num. 36. vers. tertio confert, quod hæres potuisset illid vendere bona hæreditaria, ut sibi de proprio credito satisfaceret, & consequenter non est hæreditati, vel aliis prejudicatum, dum ita isti fructus percepti fuissent ab emptore.

In contrarium verò urget potentissima ratio, quod ita est dare usuram claram, permitendo in creditore pro quantitate de sui natura non fructifera, cui non assilitat æquitas, perceptionem fructuum expignore, contrà utriusque civilis, & canonici juris dispositionem; Cumque dicta in contrarium ponderata urgere videretur; Hinc proinde reflectendo ad veritatem articuli in abstracto, deinde descendendo ad applicationem; Quatenus pertinet ad primam partem, advertebam pro-

cedi debere cum distinctione.

Aut etenim creditum hæredis est de sui natura etiam de stricto jure fructiferum, & tunc faciat fructus suos, non proprie, ac directè, sed indirectè, quod sonat in idem, quod scilicet tenetur ipse restituere fructus, sed ex eis deducit fructus sui crediti, factaque dicta deductione, imputat, vel restituuit illud plusjuxta illam computationem, de qua apud Fontanel. dec. 208. cum duab. seq. Idque contingit in illis regionibus, in quibus data mora, currunt usuræ, vel interest ipso jure etiam sine requisitis Pauli de Castro, que habentur pro notoriis, ut est in Catalonia, ubi loquitur Fontanel. ac etiam in Regno Neapolitano, ut plures in sua materia *sub tie. de usur. præsentum disc. 9. num. 5.*

Aut destricto jure, creditum est infrafructiferum, sed ex quadam non scripta æquitate creditor non cogitur imputare, vel restituere fructus, ratione cuiusdam bona fidei, qua nem pè ipsum creditum de sui natura delimitatum sit investimento fructiferum, ut ex fructibus creditor vivat, ut contingit in muliere habiente dotem, juxta casum, de quo agit Castro, ubi supra, ac juxta illam æquitatem, de qua apud Seraph. dec. 1046. & Buratt. dec. 112. & sub tie. de dñ. disc. generali 161. & in aliquibus discursibus particularibus, & tunc idem admittendum veniat, recteque dicta theoria procedat.

Aut demum agitur de credito indifferenti merè pecuniario, pro quo, juxta opinionem, cum qua in Curia vivitur, non probatis in specie requisitus lueri celsantis, vel damni emergentis, non debeantur fructus; Et tunc, non constito de ipsis hæredis, & creditoris voluntate, per probationem expressam, vel etiam præsumptivam, rectè intret dicta præsumpta appropriatio, sive imaginaria solutio ex tunc, non autem ex nunc juxta firmata in dicta dec. 60. par. 1. div. Non quidem ad effectum dominii veri, ac irretractabilis certorum bonorum cum formalium separatione ab hereditate juxta casum, de quo dicto disc. 31. de legit. & detract. Sed ad effectum, ut ita in ipso hærede opinante pro rata sui crediti possidere jure domini, inducat quadam bona fides, seu media, quæ sufficiat ad excusandum à fructibus, & nè cogatur istos imputare cum credito, quod, facto casu restitutionis, detra-

here non posset tanquam jam extinatum, juxta magis benignam, magisque receptam opinionem, de quadam dicta dec. 680. par. 1. div. cum aliis apud Buratt. dec. 509. num. 5. ubi add. num. 6. & plures dicto tit. de legit. & detract. ac in altero de fidicom. Ideoque ad hunc effectum fructuum admittitur hæc præsumptio, quamvis pro certarum rerum domino non admittatur, ut præsertim distinguendo apud Ostib. dec. 47. num. 16. & 17.

Ita vero est nuda, & simplex juris præsumptio, quæ tollitur per contrariam probationem expressam, vel etiam præsumptivam ex fortioribus præsumptionibus, vel ex legis dispositione resultantem, unde propterè apud Surd. eadem dec. 171. num. 2. & seqq. excludit ex qualitate bonorum, quod scilicet cum in hæreditate remansissent pecunia, & mobilia, in illis censeatur voluisse sibi satisfacere tanquam àे distractis, & non negatur apud Ostib. dicta dec. 47. num. 12. & seqq. (ubi cum aliqua tamen subtilitate) curatur evitari objectum ratione compatibilitatis actuum.

Sublata etenim, ex facto, vel ex jure dicta præsumptio, adeo ut constet, quod hæres distinguendo personas voluerit retinere illam creditoris quantitatis, tunc nulla suppetit ratio, ob quam ubi ipse titulus hæreditarius non suffragetur ad faciendum fructus suos, possit suffragari ille creditoris; Id enim nullum habet juris, vel rationis fundamentum, ac potius resultat receptissima juris, præsertim canonici, principia, ut creditor quantitatis possidens pignus, non faciat istius fructus suos, dum tunc consideratur tanquam simplex creditor, non autem ut hæres; Atque DB. illum excusantes, eatus admittunt, quatenus supponant dictam imaginariam, seu præsumptam appropriationem, ex qua resulteret saltum credulitas possidendi jure domini.

Neque obstat videatur ea quæ superius ponderata sunt, quoniam quatenus pertinet ad doctrinam Castro, illa habet peculiarē rationem suprà insinuatam, quod scilicet ageretur favore mulieris pro credito dotali.

Quoverò ad secundum circùm fructus ex pignore adæquante debitum, juxta deducit. disc. 10. de usur. & disc. 136. de cred. id procedit cum presupposito cuiusdam occulta, seu implicita dationis in solutum resultantia à duplice circumstantia ad aquationis debiti, ac diuturnæ negligentiæ in redimento, & sic ex eadem ratione præsumptæ appropriationis, ob quam dici possit, quod possessor creditorat possidere jure domini.

Tertium fundamentum habet quandam particularem æquitatem, cō quia illud augmentum causatum à melioramentis, nunquam fuit in bonis debitoris ex deducitis dicto disc. 35. de legit. & detract. Et quartum ponderatum per Menoch. dicto cons. 183. num. 36. quod potuisset hæres vendere bona, ut sibi satisfaceret, ab eo deducitur ad eumdem finem coadjuvandi dictam præsumptam appropriationem, ejusque terminis recentis, unde propterè num. 37. ponderatur alia ratio periculi diminutionis bonorum, quibus hæres subjaceret, & sic retento dicto presupposito, quod verè, vel saltem præsumptivè possidisset jure domini saltum in ejus opinione, non autem quod ipsem crediderit, ac voluerit possidere jure creditoris, cum tunc omnia dicta fundamenta penitus cœlent, ut advertitur dicto disc. 10. de usur. & disc. 136. de cred.

Applicando autem ad rem; Plura concurrere videbantur excludentia bonam fidem, ac illam præsumptionem, quæ inducat hujusmodi excusationem; Primo nempè ob malam fidem positivam resultantem

De LUCA  
de  
stamentis  
etc.  
GYI

18 sultantem à coftraventione explicita, ac enīx vōluntatis testatoris, qui prāvidens prātentio-nes, quas hēres habere posset, stricissimē sub pōna caducitatis prohibuit omnem alienationem, ac deractionem fideicommissi, & primogeniture; atque quamcumq; ejus, ac testamento impugnatiō-nem, exp̄ressē subiectando eidem fideicommissō, ac primogeniturā ipsamē bona ut suprā donata, idēque à fortiori intrare videbantur firmata sub tit. de fideic. disc. 134. super facultate testatoris disponen-di de bonis heredis.

Secundō omnīmoda incertitudo, ac illiquiditas hujus prātēnsi crediti, adhuc neque benē probati, unde propterā impossibile est dare dictam prāsumptam appropriationem redolentem implicitam dationem in solutum, quā utope fraternizans cum contractu emporis, & venditionis, istius requisita exigit, inter quā ultra consensum, desiderant res certa, & premium certum, ut apud Buratt. dec̄s. 372. & pluries in sua materia sub tit. de empt. & vend.

Tertiō, quia idem Antonius moriens, post longam hujus hereditatis possessionem quasi annorum 20. circiter, declaravit se creditore remanere in dictis fructibus, ergo semper iterat in terminis creditoris, non autem credidit possidere iure domini; Et quartō, quia de anno 1617. sollicitus fuit obtine-re sententiam separationis bonorum propriorum, ac etiam ex donatione competentium, cum dicta suppletione scutorum 6. millia in forte, nulla facta mentione hujus prātēnsi crediti pro fructibus; Et quod magis, in eadem sententia ab ipso procurata, & acceptata, dicitur, ut reliqua bona, quae remanent post factas dictas detractiones, spectent ad fideicommissum, & primogenitūram dicti Claudi, cuius iure possidet professus est; Ergo impossibile est dare dictam prāumptionem, quamvis creditum esset verū, & experibile; Multò magis utroque cessante, Tum ob justificationem non benē conclusam, Tum etiam ob prohibitionem testatoris disponentis de bonis propriis heredis, juxta firmata dicto disc. 134. de fideic. & in aliis proximē sequenti-bus; Ideoque hēc prātēnsi videbatur improba-bilis.

Posito autem, quod juxta dictam distinctionem, seu theoreticam, pro credito vero & liquido intraret dicta prāsumpta appropriatio non habilis ad perfectum dominium certorum bonorum, ut supra, bene tamen habilis, ad inducendum dictam bonam fidem, ob quam excusat̄ur à fructibus propter opinionem possidenti potius iure domini, quam creditoris; Cadere potest quæstio (quam tamen adhuc disputandi occasio non dededit) quid scilicet dicendam veniat circa appropriationem ad effe- & cum dominii, ubi magna temporis antiquitas con-curreret, quæ causaret notabilem alterationem præ-tiū bonorum; Ut putā ordinavit quis fideicommissionem cum ejus filiis, & descendantibus, quibus defecit ad ulteriores substitutionum gradus pro-cessit favore aliorum generum, seu Ecclesiarum; Filii verò habebant cum patre credita, putā (ut frēquentius) doctū maternarum, absorbentia nota-bilem partem bonorum consistentium in castris, vel c. salibus, attento valore illorum temporum, atque non cogitando ad hūsmodi formalitates, & requi-sita pro adjudicatione certarum rerum iure domini, (dum antiquiori tempore ista materia non erant ita distinctæ, & explanatae), cum antiqua bonitate crediderunt pro creditis propriis adscribere totum, vel in parte; Cumque casus dederit, ut intrā seculi spatium, multòque magis si tempus esset antiquius circa excidium Urbis, valor bonorum ju-

risdictionalium, & casuum maximē excreveret, et iam in quadruplo & ultrā, inquit in aliquibus respec-tivē bonis, etiam in decuplo, hinc proinde durum ac humano sensui contrarium videtur ut factō casu fideicommissi, liceat ulterioribus vocatis, juxta len-sum dictarū auctoritatum, & decisionum, ac frequētū praxim, vendicare ipsa bona, solvendo credita, sive illa excomputando in aliquibus alienationibus in sola ratione quantitativa, quoniam tan-ti tunc valeant, ac operabantur mille, quanti nunc operantur quatuor, vel respectivē decem mille, ut docent chronicæ; Ideoque ubi non resistunt diversi voluntatis argumenta, ut suprā, tunc admittenda videtur dicta imaginaria solutio, seu prāsumptio appropriatio bonorum proportionabiliter, ac dif-creat, attē eo valore; Et quamvis ea reputetur suffi-ciens ad effectum fructū, non autem dominii ire, tractabilis, ut saprā, utpote non facta servatis is, quæ de jure servanda sunt; Attamē videtur, quod dicta prāsumptio sufficiat ad inducendum bona fidei ti-tulum putativum, ut propterā ille junctus cum quadragenaria sancta hunc defectum, atque inducat sufficiētēm prāscriptionem, juxta factū qualitatem, ac singulorum casuum particulares circumstantias, ex quibus, prudenti, ac discreto arbitrio, ita mate-ria regulanda videtur, non autem cum consuetis-epis formalitatibus, seu propositionibus generali-bus, non distinguendo casum à casu.

Eadem prāsumptio, etiam ad effectum dominii, ac dislinembris ab hereditate, suffragari posse videtur tertio, cui alienatio aliquorum bonorum facta sit per heredem gravatum hereditatis credi-torem iure occulta electionis in istam accidenta-lem detractionem, eodem modo, & ex eadem aqui-tate, quam receptam habemus in detractionibus galibus ad terminos texti, in l. Marcellus, ff. ad Tri-bell, de quibus plenē add. ad Greg. dec̄s. 580. & pluri-ies in sua materia sub dicto tit. de legit. & devrah.

Dari solerū in hoc proposito imaginaria solutiōnis distinctio inter debita præexistētia de tempore delata, vel agnitiō hereditatis & illa, qua obvenient post illius aditionem; Verum quidquid sit de a hūsmodi subscriptis, ad effectus, de quibus prāsertim disc. 40. sub tit. de cred. ad istum tamen effectum videtur frigida, & ināni distinctio, quoniam, Aut agitur ad effectum acquisitionis domini certa rei, & tunc idem est, an creditum com-paterit, aut ante, vel postea, nisi dicta forma servetur; Aut ad alium effectum inducendi bonam fidem pro ex-cusatione à restituitione, vel compensatione fructuum, & tunc videtur, quæ differentia ratio sup-petat, idēque merito apud Menoch. dicto conf. 13, cum ibi allegatis, ista distinctio negligitur, cum ea dem in utraque debiti specie ratio esse videatur.

## VELITERNA PECUNIARIA

P R O  
STEPHANO COLUTIO

C U M  
ARCHANGELO,  
& aliis de GEORGIIS.

Discursus pro veritate.

An aditio hereditatis delata filii facta per patrem